

PROPEMPTICA
ET
ELOGIA
IESVITARVM

Authore
Eusebio Philadelpho.



*Ædita primum Anno 1595. Et sequentibus,
nunc in laudem Lajolitarum recusa
Anno 1601.*



Apocal. 16.

*Et vidi de ore Draconis, Et de ore bestie, Et de ore
Pseudopropheta exire Spiritus tres immundos in
modum ranarum, sunt enim spiritus demonio-
rum facientes signa, Et procedunt ad Reges to-
tius terra, congregare illos in praelium ad diem
magnum omnipotentis DEI.*



PROCESSIONALIA

ELIOTTA

1821

Autore

Elebio Philadelpho

1821

Verlag des Verlegers

in Leipzig

1821

Apocal

Verlag des Verlegers

in Leipzig

1821


Verlag des Verlegers

in Leipzig

1821



IMPERATORI,
REGIBVS,
PRINCIPIBVS,
POPVLOQVE CHRI-
STIANO,
DEI benedictionem ad salu-
tis utriusq; incrementum.



*N*te paucos annos usui publico
expositus est libellus in laudem
JESUITARVM. Is pro-
pter insignem rerum in omnes
ordines vestros utilitatem, &
propter Carminis elegantiam,
& propter immensa in omnes
Respub: Lajolitarum merita
tam avidè distractus est, licet aliquoties recusatus, ut
nulla amplius in Bibliopolijs extant exemplaria. Hujus

defectus quæ sit causa, emtorumne frequentia et libelli
legendo cognoscendi cupiditas, an potius *JESUITA-*
RVM in tollendis è medio ac prorsus abolendis exem-
plaribus studium et industria, equidem subdubito.

Nunc ergo, cum, proh dolor, eorundem Sociorum
artibus Canysium in Ungaria, propugnaculum muni-
tissimum, Turcicæ tyrannidi fædè turpiterq; proditum
sit, dum Ferdinandum Archiducem Austriacum ne-
glecto Canysio ad persecutionem Religionis adversus
Subditos cæco impetu impellunt, et pari Studio tam Ty-
ranno Turcico suas operas locant, quàm Ecclesiam
CHRISTI persequuntur: facere non potui, quin
operam darem, ut idem libellus bono publico, vestro im-
primis, in lucem conspectumq; hominũ denuo prodiret.
Cumq; *JESUITÆ* omnes suas artes, quas Author
Carminè suo antè recensuerat, paulò post exemplo Sue-
ciæ manifestissimas certissimasq; universo Orbi red-
derint, placuit adjungere aliud Carmen Sveci autho-
ris, in *SCARGAM* Jesuitam Polonum editum,
qui quidem hætenus cum suis socijs nihil majore conatu
agit, quàm ut Generosum pectus Optimi Regis turbis,
Religionis causa in utroq; Regno motis, involvant.

Quo nomine, et ratione Ecclesiæ *DEI*, et ratione
vicinitatis vehementer dolemus. *CHRISTVM*
omnium potestatum Regem supremum votis intimis
rogamus, ut Principum et statuum universorum consi-
lia sua

lia sua gratia dirigat, ut aliquando tandem istas Emis-
sariorum *FESVITARVM* fraudes penitus a-
gnoscant, de quibus, ut strictè, ita nervosè noster au-
thor:

*Cum Rege evertunt Legemq̄, Gregemq̄, SVITÆ:
Grex, Lex, Rex pereunt, fex quibus ista præst.*

Itaq̄

*Aut pelle admissos, aut non admitte SVITAS,
Aut Venetum exemplo Claustra subire jube.*

Vel potius:

Expellamus eos, ut ne pellamur ab ipsis:

Præstat enim, quàm Nos ut pereamus, EANT.



A 3

i. De

I. DE HOSTIBVS
ECCLESIAE.



Arma gregis Domini, verbum, lacru-
maq̄, fidesq̄,
Et DEVS, & melior causa pro-
bata DEO.

Arma gregis Sathana, ferrum, perjuriam, fraudes,
Ductor & in causa deteriore Sathan.
Et tamen his armis sperant se vincere: vincant,
Si Sathana fas sit, vincere posse DEVM.

2. Aliud de iisdem.

Armis religio nunquam est exacta, nec aucta,
Falsa jacet semper, vera jacere nequit.
Quis furor est, igitur, flammis excindere VERBUM?
An contra stimulum calcibus ire iuvat?
Siccine Principibus mentem agrotare necesse est?
Cum DEVS ad pœnas impia regna vocat.

3. Aliud.

Arrestum Parlamenti Parisiensis aduersus Je-
suitas, et ipsorum imprimis alumnũ Johãnem
Schattelium. Dimetro Iambico.

Summe



*Vimna Senatus Curia,
Perspectum habet causa caput,
Quam Prator egit aulicus,
Cum cognitore Regio.*

*Contra Johannem Schattelium
Parrisiensem patriam,
Pullumq; Jesuiticum
Clarmontio in Collegio.*

*Quem jam gravatum vinculis
Carcer videt Pallatij,
Domini quod unctum (proh nefas)
Conatus est occidere.*

*Adhuc Senatus formulas
Interrogandi, Et quid Reus
Responderit, simul ipsius
Magistrum iniquum exaudijt.*

*Fanum innuo Gueretium,
Scholae incolam Clarmontis,
Ex Jesuitarum tribu
Non infima Patrem nota.*

*Quin Et Petrum Schattelium
Dionysiamq; Hastardiam
Rei parentes perdit
Examinavit naviter.*

Gene-

Generalis hinc Epitropi
Causam perorantis gravem,
Orationem æquissimam
Excepit aure sedulâ.

Exinde circumstantijs
Hunc ad modum benè cognitis
Et ponderatis omnibus
Hanc edidit sententiam.

Reus iste Majestatis est
Divina, itemq; Regiæ
Convictus atrocissimi
Dirissimiq; facinoris.

Idcirco pœnas irrogans
Decernit, ut Jan Schattelus
Templi ante portam principem
Nudus suum ploret scelus,

Manuq; cereum tenens
Vtrisq; genibus insidens
Agenſq; pœnitentiam
Enunciet coram omnibus:

Quod perpetrare moliens
Immane parricidium
Faciem serenam Principis
Heu sauciasset perfidè.

Vt parricida pestilens
Instructionibus in suis
Ad Judicium Subsellia
Pertractus, ipse factus est:

Licere Regum in corpora
Armare nempe dexteram,
Ac visceribus in Regijs
Lethale ferrum condere,

Regemq̄, jam Regem, indidem
Negavit esse Ecclesia
Membrum, Papalis fulminis
Dum solveretur vinculis,

Decernit ergo Curia
Ut postulet veniam à DEO,
A Rege, Justiciâ, et sacrâ
De Parricidio, reus.

Exin repostus in rheda
Trahatur in locum GREVE,
Ibiq̄, brachia ac pedes
Carpantur igne et forcipe.

Hinc illa dira dextera
Qua Regis in sacrum Caput
Crudele ferrum strinxerat
Recisa ferrum sentiat.

B

Cor-

Corpusq; discerpant Equi :
Exinde mandatum ignibus
Fiat cinis, cinis itidem
Mox dissipetur in aërem.

Et quicquid in bonis habet,
Seu mobile sive immobile,
Adjudicetur regio
Fisco, adprobante Curia.

Sed ante quàm luat REVS,
Censet Senatus inclutus,
In quaestionem protinus
Ut postuletur Impius.

Quo veritas abscondita,
Et administra factio,
Et alia quæ queri solent,
REO patefcant indice.

Pœnaq; sub gravissima
Edicit, ut ne quispiam
Instructionis impie
Nefanda capita dissipet.

Vt qua nocere moribus
Verbo DEI adversaria
Tum seditiosa & impia
Senatus esse censeat.

Idem

*Idem Senatus sanciens
Vult, ut Lutetia exeat
Intra triduum Clarmontij
Scelerata fex Collegij.*

*Itemq; tota factio,
Illa illa dira factio,
Fesu latens sub nomine,
Loco exigatur quolibet.*

*Intraq; quatuordecim
Dies, recedat Gallicis
Turba omnis illa finibus
Turbas modò edere callida.*

*Vt quia Iuventam pessimis
Corrumpt exemplis rudem.
Hostisq; pacis publica
Et Regis, & Regni audiat.*

*Si qui, peracto hoc tempore,
Deprensi erunt in Galliâ,
Plectantur, ut solent, reos
Quos laesa Majestas agit.*

*Et quicquid in bonis habent
Ex Judicium sententiâ
Id distributum equaliter
Inserviat pio usui.*

*Sub hac eadem noxia
Pœnaq; mandat omnibus
Per unversum Gallie
Regnum, Incolis ac Civibus:*

*Ne litterarum gratiâ
Mittant suorum quempiam
In Lojolitarum Scholas,
Quas exteris habent locis.*

*Provincijsq; in omnibus
Ut publicata præsides
Exempla decreti istius
Strictè exequantur, præcipit.*



4. PROPEMPTICON Galliæ ad Jesuitas.

T*e Sues: exite Canes: fugite ocys angues,
Semi-lupiq; Viri, semi-viriq; Lupi.
Follibus æquandi, magnos agitantibus ignes
Heu? quibus à vobis sum lacerata modis?*

Gallia Regnorum quondam Regina ferebar:

Et, si quis verum confiteatur, eram:

*At postquam, Vaga monstra, meas reptastis in oras
In pejus retrò cuncta relapsa queror.*

Ille

Illā dies, quā vos primum complexa fovebam,
Illā dies cunctis, atra diebus erit.
Tunc dolus ingressus, tunc fraudis Hypocrisis autor
Totaq; vos scelerum, Lerna sequuta fuit.
Sic olim Hannibalis vestigia ponē legebat
Vastatrix Latio Diva minata malum.
Heu: per vos tenebra, quod lumina magna recorder
Proh dolor: in Campis exanimata meis.
Heu: miserum quoties in se stringentia ferrum
Conspexi vestris, viscera nostra, dolis.
Vestris auspicijs Parisina Tragedia cœpit,
Quæ vel sola pios, vos probet esse Patres.
Vestris auspicijs Civilibus obruta bellis
Sanguinis effuso flumine tota nato.
Vestris auspicijs, heu! tot castella, tot urbes
Stirpitus in Cineres esse redacta liquet,
Vos vos, o Furia, Guisios misistis ad Orcum,
Per vos in dubio Regia vita fuit.
Per vos Maestas Regum calcata meorum,
Per vos occisis Regibus orba feror.
Illaq;, quæ mundum poterat domitura videri
Classis, ubi à vobis tanta relicta fuit?
Occidit. O justum Numen! Dux femina facti
Fixit in immenso clara trophæa mari.
Ite iterum, suadete novam subducere classem.
Infelix, quem vos, dictaq; vestra regunt.

B 3

Regi-

Regibus & Regnis capitalior hospes & hostis
Vobis & vestris pestibus esse nequit.
Regibus hæc Reges, & Regnis Regna loquuntur:
Ipsa loquor damnis scire coacta meis.
Anglus, Belga, Scotus me dicere vera fatentur:
Teutonis affirmant, Sarmatis ora probant.
O cæcas hominum mentes! O pectora cæca!
Testibus his tantis, & mihi nulla fides.
Sic, cum fatales instant in limine pœna,
Festinata nequit fata videre stupor.
Nonne per Hunnorum campos Victricia Turcas
Cernitis irato ponere signa D E O.
Vos tamen his spretis, incendia constat in istis,
Immani studio, velle movere locis.
Siccine speratis, Christi pia membra necando
Vos placare D E V M, vincere posse Scytham?
Placastis, si sic Numen placare, Tyrannum
Vicistis, si sic vincere posse licet.
Illa tot annorum cædes horrenda per Orbem
Nonne Theatina fraude peracta fuit?
Carnifices hominum, fax belli, funera pacis,
Hæc? procul à nostris vos removete focis.
Tandem ego respiro: tandem revocata recurrit,
Cum vos ejectos comperit esse, Quies.
Ergo dies, qua vos excedere lata coëgi,
Illa dies cunctis alba diebus eat.

Ite Sues: 2238

*Ite Sues: exite Canes: fugite ocys angues,
Semilupiꝫ, Viri, semiviriꝫ, Lupi.*

5. GERMANIÆ PROSO-
popœcia & Parænesis ad
cætera Regna.



*Allia Germanos duxit Germana
monendos:*

*Ne quos passa fuit, nos pateremur,
apros,*

*Qui vastant Vineta DEI sub nomine JESV?
Fædera qui solvi, non solvenda jubent.*

*Et nova Christicolis extrema minantia conflant:
Et Reges maclant: Sæ fera bella serunt.*

*Et Patria suadent in viscera vertere vires:
Quas melius Turcis opposuisse fuit.*

*Regnum Rege suo Regemꝫ, avertere Regno
Quemꝫ, suo, mota seditione, parant.*

*O scelus? Sæ patimur: Dii? quanta pericla minantur,
Hi, nisi prudenter præveniemus, apri.*

*Siccine Ranarum rabies illuserit Orbi?
Siccine se nostro sanguine pota lavet?*

*Artibus his, igitur, ne circumventa periret
Gallia: tam seruos jussit abire lupos.*

*Edidit Exemplum, quod nos imitemur oportet?
Si rerum in tuto debeat esse salus.*

Expel-

*Expellamus eos: ut ne pellamur ab ipsis,
Prestat enim, quam nos ut pereamus, Eant.*

6. Vicina Regna.

*A Gallis pulsi nostris pellantur ab Oris
Turba, Theatini, seditiosa, Patres,
Nam veluti Gallis cades et bella tulerunt;
Sic nobis cades, et fera bella ferent.*

7. Aliud.

*G Allia jam pridem nullam sperare salutem,
Non ulla potuit pace quiesca frui.
Omnia sustulerant pacis momenta SVITAE,
Verterat ipsa salus, bella perosa, solum.
Mox ubi turbones excedere Gallia iussit,
En valet, Et redeunt Paxq, Salusq, domum.
Quisquis ob id gaudes utriusq, sororis in ulnis
Vivere, cum populis atq, valere tuis:
Aut pelle admissos, aut non admitte SVITAS
Aut VEN Etum exemplo Claustra subire jube.*

8. DE VENETORVM DECRETO.

*VRbs urbium Regina preclarissima,
Venetias quam nuncupant,*

Hac

Hac Exules *JESV* redigere in Ordinem
Ut dicitur, Monachum cupit.
Clausosq; Monasteriorum ergastulis
Dicere Cucullatos preces.
Iussos abesse negotijs Civilibus:
Nullas habere item Scholas.
Hoc est ab equo ad asinum aperte adscendere
O Di misellos exules?
Calamitatem sic trahit calamitas,
Amatq; *CRVX* sociam Crucem.
Inultum an hoc feras superbus *Adria*
Superbientis accola?
En Sixtus ista machinatus occidit,
Ille ille Sixtus Pontifex.
Attende Reges maximos, qui Patribus
Lasis dedere debitas,
Pœnas: an ergo tute, Venete, asperrimum
Decretum inultum hoc auferas?
Si civibus Duciq; cum Patricijs
Unum foret cunctis caput.
O Juppiter? vel ipsa si velit salus,
Caput hoc tueri nesciat.

9. Aliud.

Plurima Gallorum clarissima facta leguntur,
Et quæ certatim docta per ora volant.

C

Sed

*Sed serpentigenas Furias, vaga monstra, Suias
Finibus exclusos cum pepulère suis:
Galli Semidei Sathanam vicère Suiam—:
Gallos semideos publica fama vocat.
Tu modò diva fave forti Constantia genti:
Gallos semideos omnia secla canent.*



IO. DE GALLIS.

Gallos esse leves, quondam cum Casare fama—,
Publica cum magno Casare fama docet:
Gallos esse graves, doctissimus ille Bodinus,
Magno Scaligero testificante, probat.
Credimus, & justum Patriæ miramur amorem:
Casar enim falli, fallere fama potest.
Credimus esse graves: & nò decreta refigent,
Contra Lajolidas condita nuper, erunt.
Sed si, (quod Superi nolint) immania monstra—
Porcigenum audebunt, heu? revocare genus:
Tunc vetus is rumor nimium cum Casare verax:
Tu cum teste tuo, Galle Bodine, levis.
Omnes tunc populi, tunc omnia secula Gallos,
Omnia clamabunt tunc Elementa leves.
Ipsi ipsi Galli tantum sibi labis inurent,
Quantum delebit nulla futura dies,

Aliud.

11. Aliud.

G *Allia se magno meritis equavit Olympo,
Cum pepulit mundi publica damna Sues.
Sed si, quos pepulit, contra decreta reducet,
Victa vel Hispani Marte, vel arte Papa:
Non modo Porcigenis certissima praeda tyrannis,
Exemplum aeternae sed levitatis erit.*

12. Aliud.

G *Alli Porcigenas ausi exturbare, feruntur
Re, spe, decretis, corde, fide, ore graves,
Galli exturbatos ausi revocare; ferentur
Re, spe, decretis, corde, fide, ore leves.*

13. Aliud.

M *Ors pacis, tuba prima Liga, fax Mortis et Ates,
Turba Theatini seditiosa Patres:
Narrantur, Rex Galle, tuis ex finibus acti,
Sic sic turbarum denique finis erit.
Turba ferens turbas, turbonum premia capit,
Ultori scelerum gloria magna DEO.*

14. Aliud. In rasam Jesui- tarum cohortem.

G *Allica quis ferro vastavit regna? Suite.
Quis Belgas studuit perdere? Rasa cohors.
C 2 Vasta*

*Vasta Bohemorum quis reddidit arva? Suite
 Quis Germanorum tot loca? Rasa cohors.
 Ecquis in Anglorum lavit se cade? Suite,
 Quis maduit Scotiae sanguine? Rasa cohors.
 Quis fas atq; fidem docuit violare? Suite,
 Quis docuit Reges fallere? Rasa cohors.
 Ecquibus Europa regnis potuere Suite
 Parcere? cui potuit parcere Rasa cohors?
 Omnibus absorptis, sorbenda ô Patria restat,
 Intra se pestem quæ fovet ipsa suam.
 Alea jam jacta est, jam fundamenta malorum,
 Pulsa, ruinarum prima favilla, quies.*

15. Aliud.

In Fautores Jesuitarum.

I*psa salus nescit gentem servare; Saluti
 Perniciem præfert quæ malè sano sua.*

16. Aliud.

F*ata fores pulsant, Tragicis via strata ruinis,
 Cum gens, quæ potuit stare, jacere cupit.*

17. DE SACRA LIGA.

M*ontibus admôrant montes insana gigantum
 Agmina, dei cerent ut Jovis arce Jovem,
 Juppi-*

Juppiter in caelis conatum risit inanem,
Et vibrans validâ tela trifulca manu.
Portentosa virum, caelo capita alta ferentum
Corpora per praeceptis sub Phlegetonta dedit.
Sic hodie Reges cum Regibus arma capessunt,
Et contra Christum fœdera sacra ligant.
Fraude Sutarum, per quos raptantur ad arma,
Romaniq; dolo bellipotente Pape.
Heu miseros reges! qui caelum exscindere tentant,
Quatuor ex illis mors properata tulit.
Insuper et Quintum misero succumbere fato
Vidimus, adversus dum parat arma DEVM.
Si sapias, ô Princeps, fulmen caeleste cavendo,
Tot regum damno disce cavere tuum,
Nemo LIGISTarum felix: DEV S ipse tyrannis
Instat, et à tergo post caput ultor adest.

18. Gallia ad suos.

V T curruca fovens cuculum se perdit; ut anguem
Qui tulit in gremio, laesus ab angue fuit.
Sanguine sic nostro Cuculi, quos pascimus, angues
Quos alimus, nobis vertere cuncta student.
O scelus! et patimur! patimur se vivere scelestos,
In populum, in Reges, in bona nostra lupos.
Non ita: pellantur Furia, pellantur ad Orcum:
Angues, & Cuculos qui fovet, ille perit.

C 3

Aliud.

19. Aliud.

Ite patres, natos qui perditis, ocyus ite
Pastores, miseros qui laniatis Oves.
Ite mala merces, nihil his pastoribus istis
Patribus, atq; malis mercibus orbis eget.

20. AD POLONIAM.

Pulsos à Gallis socios Polonia ꝑ E S V,
Excipe, quid dubitas? aurea secla ferunt.
Aurea secla ferunt: tamen aurea secla ferentes,
Respuis? heu sanum num tibi, queso caput?

21. Polonia respondet.

Aurea mortiferi promittunt secla S V I T Æ
Ne crede tu Sicarijs.
Aurea promittunt verbis: re ferrea præstant:
Illa auferunt, hæc afferunt.

22. Aliud.

Quis novus his nostris successit sedibus hospes?
Human generis, Lajola pestis, E A T.

23. Aliud in Jesuitas.

Turba Sacerdotum Civilibus omnia bellis
Perdere subversâ Religionem cupit.

O C R C A S

O cacas furias! nondum vicinia, nondum
His à consilijs vos revocare potest?
Lamentantur adhuc miseri sua funera Galli;
Artibus & vestris Oppida casa dolent.
Execratur adhuc vestras interrita fraudes
Cum sibi finitimis terra Britanna Scotis.
Per vos attriti Belgæ, quod ferre nequibant,
Excussère DEO, triste, juvante, jugum.
Huc tandem rabies adducit vestra Monarchas,
Cum populis perdant ut sua Regna suis.
Quid tibi præ foribus sit, surda ô Patria, si non
Has cohibes furias, heu meminisse piget.
Formidanda canunt civilis classica belli,
Si sic fata jubent asperiora; canant.
Non impunè ferent tamen: irritatus in illos
Vel primos stricto sæviat ense furor.
Bis centum Rasos Lanzerra vidit in urbe
Concisos miseris Gallia mœsta modis.
Sic pereant per quos civilia bella moventur,
Pastores titulo, sed feritate Lupi.
Admonitos volumus, miserè perdantur oportet,
Per quos ipsa quies esse quieta nequit.

24. Aliud.

Gallia Saulitis cum parens, fœdera rupit:
Ultorem sensit post caput esse DEVM.
Adspi-

Adspiciunt oculis superi perjuriam justis:
Perfida gens nunquam floruit ulla diu.
Tu tamen à stygijs persuasa O patria Raris,
Diceris astrictam solvere velle fidem.
Quo peritura ruis? non te lacerata tot annos
Gallia? non Nemesis? non movet ira DEI.
Non ego te surdam & cecam, quæ audire quod audis,
Cernere, quod cernis non potes, esse rear?
Heu cecam, surdam, amentem? quæ cernere clades
Atq; audire tuas, atq; cavere negas.
Si non propositum mutaveris, ecce peristi:
Stante fide, stabunt regna, ruente ruent.

25. Aliud.

Portia gens regnis adjungere Regis Iberi
Regibus occisis, omnia regna cupit.
Gallia testatur, Reges testantur ibidem,
Casi & cadendi, nî pia fata vetent.
Et tamen hæc passim securam moratur in aulis,
Usq; adeo volupe est regibus ante mori?

26. Aliud.

Portia gens reges occidit, & occidit unda,
O bene: sic serpens, cum parit ipsa perit.

27. Aliud.

Quæro



*Verò Theatinis cur istud semper in ore
Unus Rex, Unus Papa sit, Una fides.
Optant quod dicunt, dicunt quod jugiter optāt,
Unus Rex, unus Papa sit, una fides.*

*Ac certè si sic utentur, ut hæctenus, ense,
Regibus & mortem, viq; doloq; ferent.
Omnibus extinctis tunc summa redibit ad unum
Ecquis is est? Si non unus Iberus erit.
Alea jam jacta est: vigila, vigila inclyte sanguis
Regie: de corio luditur ecce tuo.*

28. IN PHILIPPICAM Academiae Parisiensis.



*I queris quæ sit fratrum natura Giesi
Has, rogo, pagellas, consule, certus eris.
Una Suitarum totum descriptio scriptum est,
Hinc causas, fructus, omnia scire licet.
Monstrosos homines, humanaq; monstra videbis,
Et monstris plenos intus & esse foris.
Ore coaxantes ranas, & corde Leones,
Et vulpes technis, & feritate Lupos.
Crimina vis uno complectar ut omnia verbo;
Humana specie Demonas esse scias.
His hodie gaudet Romana Sinonibus aula,
Qualis Herus, talis debuit esse Cocus.*

D

29. In

29. In Collegium Clar- montium.

D*Um templis inhiant, quæ sunt aliena, Suitæ
Versa Suitarum, propria templa ruunt.
Sic superis visum: dum nos subvertere querunt
Eversi pœnas, quas meruere luunt.*

30. Gallia de se

Anno 1585.

M*E servat servata fides, me prodita prodit:
Pura ligat, solvit Regna dolosa Fides.
Me miseram? Cui me credam decepta tuendam?
Ipsa fides fallit perfidiosa fidem.*

31. Aliud de eodem

Anno.

S*ervari potui: si mens non leva fuisset,
Nunc pestem proprio cæca furore sequor.*

32. Gallia ad Suitas.

I*Mmanes Cuculi, feralia monstra Suitæ
Unguibus an vestris sic lamenda fui?
Summe DEVS vindex scelerum quin obijcis istos
Ignibus his ipsis à quibus hausta fui.*

33 Socie-


33. Societas Jesuitarum.

Pestiferas contra Christum quia molior artes,
Ipsa faces membris infero caca meis.

34. Gallia ad Suias.

Cum Rege evertunt Legemq̄, Gregemq̄, Suias:
Grex, Lex, Rex, pereunt, fex quibus ista praest.

35. Aliud de Iesuitis.

 **Q**uas in Scholis agunt suis Tragœdias,
Docentq̄, porci Lajola:
Eas deinde serius in maximis
Capere Regnis edere:
Procul ô faceſſe, faceſſe dira factio,
O Turba turbas excitans.

36. Aliud.

Ex lapide Pyrrha finxit hominem: proh nefas,
Ex homine lapidem LAIO LA.
Ad arma, ad arma principes vocat viros,
Et bella paſſim ſuſcitāt.
Incendiarius, heu et emiſſarius,
Plagiarius, et Sicarius,
Et Regicida, et Parricida peſtilens,
Animas necans et corpora.

D 2

Hoc

Hoc agit, & (ô stupor) tamen hunc Reges fovent,
Et munerantur splendide.
Inunc, & istos esse lapides pernega,
Et Lajolam veneficum.

37. Jesuitarum Pellices.

Pluto potens Erebi Princeps, è Coniuge natus
Sustulit insignes Impietate novem.
Prima verecundo laudatur Hypocrisis ore,
Quam rasis junxit Patribus esse Pater.
Fraus mercatores; Civis Usura: Colonos,
Luxuries thalami jure ait esse suos.
Quinta coniscantes imitata Sophistica capras,
Nupta Sophistarum; creditur esse choro.
Sexta (Fames æris) Æris se addixit alumnis,
Septima Nobilibus junctæ rapina fuit.
Octava, Ambitio communiter excipit omnes,
Nupsit Agyrtarum nona Megæra gregi.
Grande nefas, hodie cunctas habet Agmen Esavi,
Fecundis Patribus non fuit una satis.

38. SOPHISTICA Jesuitarum.

Quaritur in toto cur panè Sophistica mundo
Exagitet miseris, omnia regna, modis.

Vnde

Unde hæc tam blanda domina tam pestilis ira?
 Da veniam, causas cur ita turbet, habet.
 Zelus eam torquet: Notum, quid femina possit,
 Quam zelus thalamo noxia vexat avis.
 Adspice Medeam, proprios quæ Vipera natos
 Perdidit, heu zelo victa scelestæ suo.
 Zelo victa viro pestem tulit Herculis uxor,
 Juno sed & turbas, à Jove lusa dedit.
 Et miramur adhuc? cur spreta Sophistica turbet
 In rabiem furtis conjugis acta sui.
 Quis tamen is? nomen temerè, qui invasit JESU
 Assertor stygij perfidus ille Papa.
 Non contentus enim Cylo insatiabilis unâ
 Arrigit in cunctas more Salacis equi.
 Vix tot pellicibus se Juppiter imbuit olim
 Quot scortis thalamum polluit iste scelus.
 Fraus cum sævicia, cum seditione Tyrannis
 Invidia, Ambitio, Suada, Rapina, Furor.
 Et Philochremosine, mille insuper impia monstra
 Insultum insani ferre videntur apri.
 I nunc & rogitæ cur sæva Sophistica turbet;
 Ferre sui Verris furta nefanda nequit.

39. Aliud in Iesuitas.

Multas invenit Romana licentia sectas;
 Nostro sed una seculo

D 3

Nata

Nata fuit, reliquas quæ circumplectitur omnes
Et vincit ut spinam rosa.
Non tantum sancta, et sapiens, sapientia rerum
Et ipsa, et ipsa Sanctitas.
Quicquid enim reliquis studij, pietatis et artis
Et humilitatis splendida,
Illud in hanc unam manavit ab ubere sanctæ
Ecclesiæ Babylonidos.
Musa fave: partumq; novum, nova sidera mundi
Junonis aureum genus,
Divinos Patres, cultu venerata decenti
Verbis saluta byssinis.
O salve, salve toto venerabilis ævo
Gens ô ter optima maxima.
Te nata risit cælum, quod tartara vulgus
Ineruditum nuncupat.
Cum tamen huc properent omnes ut lucis in aulam
Papa, Patres sanctissimi.
Te natâ, Babylon Italis plaudebat in oris,
Et eius omnes assecla:
Per te pressa diu meretrix Romana resurget,
Viresq; recipiet suas.
Tu quoniam tu Philtra ferens Babylonia passim
Circumferes et regibus.
Inde propinabis longum Babylonis amorem,
Ut sannionis impleas.

Offi-

Officium, et partes. Igitur te jura Papatus
Complectitur ut animam suam.
O salve, salve toto gens aurea mundo
Hirundinum atq; Hirudinum
Progenies, sub vulpe latens, cane pejor et angue
Et stellione et aspidē.
Heu mihi, quod nequeo laudes æquare canendo
Cælestis omnes Ordinis.

40. Aliud.

Quid **FESVITA** sit, intelliget probè,
A voce primam detrahet qui syllabam,
Relicta vox finitio verissima,
Finitionis numina pars finitio est,
Non regulis sed veritate Judice.
Quoniam tibi in speculo velut mundissimo
Summi Ordinis, Sanctissimi, Doctissimi,
Angelica foris et intus aperit pectora.

41. Aliud.

Quando creaturam similem sibi fingere Princeps
Cuperet Averni præpotens:
Omnibus ex Monachis, Maria per balnea, succum
Ipsum, ut vocant, et sanguinem.
Arte Ciniflonum collegit, et inde creavit
Sui Sutam imaginem

Hinc

Hinc ut Anaxagoras cunctas Panspermia formas,
 Sic Jesuita quoslibet
 Continet, & præfert vivâ sub imagine sectas,
 Dotesq; earum & omnia:
 Sic uno in Monacho Monachos inveneris omnes,
 In nunc Suitas despice.
 Aureus hic partus Monachorum essentia quinta est,
 Et Spiritus quem nominant.
 Vita, salus, soboles, flos florum, Sannio Pape,
 Anathema qui negaverit.

42. Aliud.

ESse flagrum Domini se dixerat Attila quondam,
 Verius est flagrum Rasa caterva DEI.
 Corpora non animas tulit ille: Lajolida utrumq;
 Et juvat hæc porro tam fera monstra sequi?

43. Aliud.

Fallitur, à JESU qui nomen habere Suitas
 Credidit: hi patres à sue nomen habent.
 Facundum pecus est; Sus & suis ordo Suitæ,
 Insuper ex æquo gaudet utrumq; Luto.

44. Aliud.


Rana, locusta, Leo, vulpes, Sus, tygris & hircus
 Symbola sunt cætus, Lajola, certa tui.

Aliud.

45. Aliud.

V Is dicam verbo, quæ sit natura Suite?
Est Sathana crepitus ultimus, atq; Papa.

46. Aliud.

 **Q**riste Jesu, Jesuitas impios,
Qui te tuo sub nomine,
Tuosq; prosequuntur, Et jaciunt faces
Incendiorum Patriæ:

Hos ô benigne custos, Et potens tuæ
Compesce Rex Ecclesiæ:
Et dissipationes heu nefarias
Dele, refuta, dissipa—.



HIS ACCESSIT *ἐπιόρυμα*
Ensebij Alterius.

1. De Definitione Jesuitæ.

Q Vadrato in pileo, quadrifrons Iesuita superbit,
Quid monstri larvâ hac sub quadrifronte latet?
Fronte Ovis, à tergo Lupus, à latro, Canis illac
Quid è Iesuitam unus versiculusne capit?
Principio mitis, sed mox utrinq; latratu
Et latrocinijs regna ducesq; vorat,
Haud brevius possum. Iccircò ut Iesuita sit hospes,
Speluncâ, stabulo, millo, opus, atq; pedo, est,

E

Aliud

2. *Aliud.*

SEductor Sueco ; Gallo sicarius ; Anglo
Proditor ; Imperio explorator ; Davus Ibero ;
Belgarum prædo ; fur mendacissimus Indis ;
Italo adulator, Dixi tereti ore **S**VITAM.

3. *Aliud.*

ESt hostis, pestis, restis, Iesuita, piorum :
Resti, hosti, pesti detur ut ergo, decet.

4. *Aliud.*

AVt Giesi aut Esau nomen dat fratribus ; offam
Hic capit, ille aurum ; vendit uterq; Deum.
Ergo quid mirum, si captent juscula & aurum
Vndiq; dum vendunt jura Deum atq; polum,



EPI-



EPIGRAMMATA

Erici L. Sueci

AD SCARGAM

Jesuitam aulae Polonicae.



Epistola ad Scargam.

SCARGA, Consilium illud tuum, de
haereticis è regno Suecia, vel cum pericu-
lo amissionis regni, exterminandis, quod
Regia Majestati, nobis & alijs quam-
plurimis audientibus, in Comitijs Varfa-
viensibus proximè ante Regis ad nos profectio-
nem, sanguinaria voce dedisti, id nondum etiam ex animis no-
stris delevimus, nec delebimus unquam. Quanquam
in eo quidem profectò prudentia tua non immeritò desi-
derari potest. Quippe qui nos cupias deletos ex LI-
BRO VITÆ, & interim tamen de periculis, quæ
nobis impendere noveras, tam familiariter commone-
facias. Nos, qui abs qui vis homine beneficium gaude-
mus accipere, tibi quidem gratias agimus liberales, atq;

E 2

adco

adeo etiam referimus, omnium trium Gratiarum arcu-
lis haud inanibus excussis. Primum enim non exigu-
am gratæ mentis significationem esse scis benè monen-
tem non habere contemptui. Deinde ex mendace & im-
postore vatem efficere, id sanè si non maximum, certè
non etiam postremum gratissimi est animi documen-
tum. Atqui utrumq; nos tibi præstitimus. Nam ad-
monitionem tuam permagnum apud nos habuisse mo-
mentum, evenius docet. Nec vatis nomen invidemus,
tibi, qui mendax & impostor es, quanquam profectò
mallemus te, qui semper mentiri soles, hic quoq; fuisse
mentitum. Ad extremum, ne quid uspiam ad sum-
mam gratissima memoria declarationem posses deside-
rare, et tibi Epigrammata ista, in laudem & gloriam
nominis tui concinnata, ex quibus si te voluptatem
aliquam cepisse perspexero, faxo, ut brevi plura accipi-
as. Aut, si quid in me erit mora, Poloni & Ruteni,
quos, ut fama est, miris modis tibi obstringis, id
quod reliquum est, tibi socijsq; tuis ad extre-
mum usq; quadrantem liberaliter
persolvent. Vale, ut di-
gnus es.

Epi-



Epigrammata IN SCARGAM.



*Vspue te Princeps regno privatur
avito,*

*Annon consilium, SCARGA,
salubre tuum?*

*Autor es amissi, fac sis quoq̄, Scarga, recepti,
Scilicet hic praestes te quoq̄, quaeso, virum.*

*Nempe nequis: credo: proclivius omnia regna
Perdideris, unum, quam reparare queas.*

*Dic sodes, laqueum si Rex tibi mandet, et omnes
Lajolidas regnis exigat ipse suis.*

*Si jubeat populis de Relligione caveri,
Dic sodes, suecia nonne rediret Amor?*

*Sic reor, ex facili regnum reparabile regi,
Vos vos emoveret si modo terra, foret.*

*Sic Rex se in tuto, sic regna suosq̄, locaret,
Annon Consilium, SCARGA, salubre meum?*

Aliud.

*P Rincipis eximio te fingis amore teneri,
Si verum dicis, SCARGA, capeße fugam.*

E 3

Et

Et, serpentigenis cum fratribus, ocyus Indos
Trans mare, vel, si vis, & Phlegetonta pete.
Abnuis: ergo tui regis mentiris amorem,
Qui, nisi tu pereas, heu superare nequit.

Aliud.

S C A R G A sui regis mirandum jaecat
amorem,
Sed non consilij hunc probat ipse suis.
Hæreticos tolli ferro persuadet & igni,
At Princeps regnis excidet inde suis.
Hicne amor? hacne fides? ego, S C A R G A fidelius
Diligo, consilij & probo dicta meis. (illum,
Suadeo te laqueo donet, sociosq; capistro,
Sic Princeps regnis consulet ipse suis.

Aliud.

V In oculi nostris doleant, pater optime
S C A R G A,
S C A R G A, datam suades qui violare
fidem.
Qui divo sermone Suecis extrema minaris,
Eias cum socijs L I T E R A L O N G A tuis.

Aliud.

Regia

Regia *Majestas* te, *SCARGA* super *stite* regno
Vti frui nequit suo.

Vin' regem & regnum meritis obstringere magnis,
Vin' ut citò fias DEVS:

Vtq̄ Lutherani subito terrore fatiscant,
ABI CITO ET SVSPENDE TE.

Aliud.

Hæreticos tu *SCARGA*, jubes exscindere regem,
Qui, tibi si paret, vix superare potest.

SCARGA, quid es meritus? dicã, sed parce moveri,
Dispeream, si non terq̄, quaterq̄, CRUCEM.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



